

## ARTICULUS VII.

## DE EXCELLENTIA EPISCOPORUM.

94. *Nota I.* Episcopi nomen ab ἐπί super et σκοπέω considero aut speculator derivatum, antiquis significabat inspectorem. Nam teste Plutarcho in Camillo tribuebatur nomen Episcopi praetori et magistratibus, qui juri dicendo, inspiciendae provinciae aliisque rebus curandis præficiebantur. Cicero etiam L. 4. epist. 41. ad Atticum scribit, se a Pompeio constitutum in tota Campania, et maritima ora ἐπίσκοπον, ad quem delectus et summa negotii referatur. Itaque hoc nomen ad laicos quoque pertinere potest: unde Eusebius L. 4. de vita Constantini cap. 44. de eo sic loquitur: *ipse velut communis omnium Episcopus a Deo constitutus, ministrorum Dei concilia congregavit: quem quidem episcopatum suum Constantinus ipse L. 4. c. 24. Episcopos alloquens sic explicat: Vos in iis, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis; ego vero in iis, quæ extra geruntur, Episcopus sum a Deo constitutus.* Nomen istud a priscis sumpsere Christiani, eoque sacrorum suorum summos Antistites coherestarunt. Ita Christus I. Pet. 2. v. 25. dicitur *Episcopus animarum nostrarum.* Act. 20. v. 28., ad Philip. 1. v. 1., ad Tim. 1. c. 3. v. 2., ad Tit. 1. v. 7. rectores Ecclesiarum appellantur Episcopi. Sed quidquid sit de nomine, inquirimus hic, an, et quo jure sacri illi præsules, qui nunc vocantur Episcopi, iis, qui apud nos sunt tantum presbyteri, superiores sint. Pro quo

95. *Nota II.* Seculo IV. Aerius presbyter Arianus, postquam spe episcopatus, quem ambierat, excidisset, docuit presbyteros Episcopis nihilo esse inferiores, teste Epiphanius hæresi 73. et Augustino hæresi 53. Seculo XIV. Joannes Wicleffus sacerdos Anglus, sicut expertus est Aerii fortunam, ita adoptavit insaniam. Dejectus enim a spe consequendi episcopatum Wigornensem, ita dicebat: *Tempore Pauli sufficiebant Ecclesie duo ordines clericorum, sacerdos videlicet et diaconus; quia certum videtur, quod superbia Cæsarea alios gradus adiunxit.* Ita referunt Thomas Waldensis L. 2. Doctrinalis fidei, art. 3. n. 60. et Wilhelmus Widesfordus in L. adversus eumdem. Hæsit in eodem luto Calvinus L. 4. Instit. cap. 4. n. 2. ita scribens: *Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur; neque tamen sic honore et dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet, sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, consulendo, monendo, hortando alis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, et quod decretum communi consensu fuerit, exequatur; id munus sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu, atque id ipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres.* Ita mentitur Calvinus, cui adhærent recentiores Puritani et Lutherani.

96. *Dico I.* Jure divino Episcopi presbyteris superiores sunt quoad potestatem ordinis.

*Probatur.* Soli Episcopi possunt ordinare presbyteros, presbyteri non possunt; ergo Episcopi potestate ordinis antecellunt presbyteris jure divino. *Conseq. est evidens.*

*Prob. Ant. I.* Scriptura nulli alteri collationem sacrorum ordinum tribuit. Nam ab Apostolis constitutos fuisse presbyteros, hujus rei gratia Titum relatum Cretæ, monitumque Timotheum (quos fuisse Episcopos nemo dubitat) ne cito manus imponeret initiandis, apertissime tradunt Actus Apostolici cap. 14. v. 22. et Paulus 2. ad Timoth. 5. v. 22. et ad Tit. c. 1. v. 5.

*Prob. Ant. II.* ex traditione Patrum. Auctor Constit. Apost. L. 8. c. 28. (Labb. t. 1. p. 493. B.) *Episcopus benedic et non benedicit; manum imponebit, ordinat, offert, benedictionem ab episcopis accipit; a presbytero autem non accipit.* S. HIERONYMUS (quem Novatores nobis perpetuo objicunt) in epist. ad Titum c. 1. (opp. t. 7. p. 694. edit. Vallarsi.) ea verba expendens, *ut constitutas per civitates Episcopos, ait: audiant Episcopi, qui habent constituendi presbyteros per urbes singulas potestatem.* S. CHRYSOSTOMUS hom. 13. in 1. ad Timoth. demonstrat, ea verba *per impositionem manuum presbyteri*, accipi non posse de presbyteris, sed de Episcopis. S. EPIPHANIUS hær. 73. (opp. t. 1. p. 908. A.) *Ordo, inquit, Episcoporum ad gignendos patres præcipue pertinet. Hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter (presbyter) cum patres non possit, filios Ecclesie regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros.* S. ATHANASIUS in sua aduersus Arianos Apologia (opp. t. 1. p. 106. A. edit. Patav. 1777.) probat, Ischyram accusatorem suum non fuisse presbyterum, quoniam Colluthus, a quo Ischyram dicebatur ordinatus, nunquam fuerat ad episcopatus characterem promotus: *Unde igitur, inquit, presbyter Ischyras? quo ordinant? nonne Collutho? Atqui Colluthus, cum esset presbyter, obiit, ejusque ambæ manus absque auctoritate fuerunt.* Addit ATHANASIUS, omnes, qui schismatis tempore a Collutho fuerant ordinati, *ad laicalem statum fuisse redactos.* Quibus tam insignibus testimonii demonstratur plane, si presbyter alium in presbyterum ordinaret non insinuitus episcopali consecratione, hujusmodi ordinationem irritam penitus ac nullam esse, ideoque Episcopos potestate ordinis presbyteris anteire.

*Prob. Ant. III.* definitionibus Conciliorum. TRIDENTINUM Sess. 23. can. 7. ita definit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; anathema sit.* Idem multo ante statuerant Synodi aliae, nempe anno 348. CARTHAGINENSIS I. can. 5., anno 534. ARELATENSIS V. can. 7., anno 563. BRACARENSIS can. 8. aliæque permulta. Deberi autem Episcopis jus ordinandi Ecclesie ministros, probat Tridentinum eadem Sess. cap. 4. ex eo quod illi in locum Apostolorum successerint, et positi fuerint, ut ait Apostolus, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei: *apertum enim est, inferiorum ministrorum electionem atque inaugurationem non in Ecclesiastico solum, sed etiam in quolibet regimine bene constituto ad præpositos rectoresque supremos pertinere.*

97. *Dico II.* Jure divino Episcopi antecellunt presbyteris etiam quoad potestatem jurisdictionis.

*Prob. I.* Auctoritate SCRIPTURARUM. Episcopi legis Evangelicæ non sunt minores summo Sacerdote legis antiquæ: atqui Sacerdos summus in veteri lege

jure divino superior erat ordine et auctoritate cæteris sacerdotibus et levitis; ergo et in nova lege Episcopi auctoritate et potestate jurisdictionis presbyteris antecellunt. *Major* propositio est HIERONYMI, qui hac in re Novatoribus puppis ac prora est, ad Nepotianum epist. 34. (al. 52.) ita sribentis: *Quod Aaron et filios ejus, hoc esse Episcopum et Presbyterum noverimus.* Idem verbis expressioribus supra recitatis asserit, epist. ad Evangelum. *Minor* aperte constat legenti cap. 28. Exodi, 9. Levitici, 17. Deuteron. Ex quibus liquet Aaronem ampliorem honorem, diversam consecrationem, facultatem ingrediendi sanctuarium, partem ex oblationibus peculiarem, atque supra sacerdotes et levitas omnes jurisdictionem amplissimam sibi vindicasse. Fatetur hoc ipse Calvinus L. 4. Instit. cap. 6. n. 2. et Magdeburgenses cent. 1. c. 7.

Nec desunt monumenta ex novi Testimenti paginis. Nam Apostolos jure divino maiores fuisse Christi discipulis, constat tum ex diversa illorum electione; etenim Luc. 6. v. 13. duodecim tantum ex reliquorum discipulorum numero elegit, cum Luc. 10. v. 21. demum designaverit et alios septuaginta duos: tum quod solis Apostolis Joan. 20. v. 21. Dominus post resurrectionem dixit: *sicut misit me Paier, et ego mitti vos:* tum denique, quod post Judæ defectionem Mathias ad instaurandum numerum duodenarium, peculiari ceremonia ex numero discipulorum fuerit in collegium Apostolorum cooptatus, Act. 1. Atqui Apostolis successisse Episcopos, discipulis autem presbiteros omnium Patrum consensu firmatur, GREGORII NYSSENI de vita Moysis, (t. 1. p. 218. C.) CHRYSOSTOMI hom. 38. in 1. ad Corinth., HIERONYMI in epist. ad Fabiolam, ISIDORI Hispanensis in cap. 22. Exodi, Ven. BEATAE L. in Lucam cap. 42. aliorumque. Igitur iure divino Episcopi tenent in Ecclesia gradum cæterorum sacerdotum gradu et ordine superiore.

Suffragatur S. Paulus in epistolis. Epistola enim 1. ad Tim. c. 5. v. 19. ita eundem alloquitur: *adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ergo Timotheus presbyterorum erat antistes et judex. Hinc Epiphanius haeresi 73. (loc. cit. supra): *Quod autem, inquit, non idem esse possit cum Episcopo presbyter, divinus Apostoli sermo declarat, quo, quisnam Episcopus, quisque presbyter, intelligitur.* Nam ad Timotheum Episcopum sribens, ita loquitur: *Presbyterum ne objurges, sed hortare velut patrem.* Quid autem attinebat Episcopo vetare, ut ne presbyterum objurgaret, nisi majorem supra presbyterum auctoritatem haberet? Quare deinceps admonet: *adversus presbyterum cito accusationem ne admiseris, nisi duobus tribusve testibus.*

*Prob. II. EX PATRIBUS,* ex quorum testimonii luculentissima duntaxat proferemus. S. IGNATIUS martyr epist. ad Ephesios n. 3. (PP. Apost. opp. p. 459. edit. Hefel.) *Episcopi,* inquit, *per terræ terminos definiti in Jesu Christi sunt sententia.* Ad Magnesianos n. 6. *hortor,* ait, *in Dei concordia omnia agere, Episcopo presidente Dei loco, et presbyteris loco senatus Apostolici.* Ad Trallianos n. 2. sribit: *Episcopo subjecti sitis tanquam Jesu Christo, ac paulo post: necesse itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis.* Ad Philadelphienses n. 7. *Episcopo attendite, et presbyterio et diaconi;* et n. 9. *boni quidem sunt sacerdotes, præstantius autem quid est summus Pontifex.* Vides his in locis ab IGNATIO expressam Episcoporum supra presbyteros præminentiam, jurisdictionem, auctoritatem.

CLEMENS ALEXANDRINUS L. 6. Stromat. (opp. p. 667. D. edit. Morelli.) seribit in Ecclesia imitationes esse Angelicæ gloriæ, virosque qui insistentes vestigiis Apostolorum vixerunt in perfectione justitiae, teste Apostolo, primo quidem diaconos esse, deinde cooptatos in presbyteratum per progressum gloriæ (nam gloria differt a gloria) donec in virum perfectum (id est, Episcopum) creverint. Igitur Episcopi tam distinguuntur a presbyteris, quam hi a diaconis, et quemadmodum presbyteri diaconis hic loci superiores esse asseruntur, quod et hæretici fatentur, ita et presbyteris Episcopi. Tres enim gradus ex æquo a se invicem recensentur, e quorum uno progressus fiat ad alium. Atque hoc discrimen ordinum tempore Apostolorum jam ex divina institutione fuisse profectum refert idem S. Doctor L. 3. Pædagogi cap. 12. (p. 234. C.) sribens: *Quam plurima præcepta, quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt, hæc quidem presbyteris, alia vero Episcopis, alia diaconis.*

ORIGENES hom. 11. in Jeremiam (opp. t. 3. p. 439. D. edit. Ruæi.), quam habuit, cum jam esset presbyter: *Plus a me exigitur, inquit, quam a diacono; plus a diacono, quam laico: qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet (Episcopus), pro omni Ecclesiæ rationem reddet.*

S. CYPRIANUS epist. 27. ad Lapsos. *Dominus noster,* inquit, *cujus præcepta et monita observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ sue rationem disponens...* dicit Petru: *Tu es Petrus et super istam petram ædificabo Ecclesiæ meam...* Inde per temporum et successionum vicem Episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio occurrit, ut Ecclesiæ super Episcopos constituantur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, etc. Quid clarius?

S. HIERONYMUS in dialogo adversus Lucifer. n. 9. *Ecclesiæ salus,* inquit, *in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam et ab omnibus eminentis detur potestas, tot in Ecclesiis efficiuntur schismata, quot sacerdotes:* quo loco S. Doctor aperte insinuat, Ecclesiam ipsam suapte natura flagitare eminentem supra cæteros sacerdotes Episcopi auctoritatem, ne orientur schismata: Christus autem utique Ecclesiæ consulere voluit. Idem epist. ad Evangelum: *Quid facit, inquit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Ibidem, *in Episcopo, ait, et presbyter continetur. Qui provehitur, de minori ad majus provehitur.* Ibidem sribit: *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia.* Tribuit hic HIERONYMUS Episcopis ordinis discrepantium, ampliorem in Ecclesia dignitatem Aaronis supra levitides excellentiam ex traditione Apostolica seu jure divino. Immerito ergo eo tanquam patrono adversarii gloriantur.

Denique, ut innumera aliorum Patrum testimonia omittam, S. AUGUSTINUS L. de Haeres. n. 53. Aerium inter hæreticos recenset, quod inter alia nefaria dogmata diceret, *presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni.*

*Prob. III. RATIONE.* Nullus scriptorum Ecclesiasticorum, qui primorum temporum formam descriptere, meminit immutationis, qua seculo secundo Episcopi imperium in presbyteros adepti sint; sed omnes unanimiter tradunt, ipsorum auctoritatem in presbyteros ubique jam inde ab Apostolis perpetuo deinceps viguisse. Deinde incredibile prorsus est, mutationem

istam ordinis ab Apostolis profecti fortuito post seculum primum in Ecclesiis omnes fuisse invectam. Fidem quoque superat, cunctos in toto orbe presbyteros in id statim consensisse, ut gradu moverentur: quasi vero omnes jugum sponte acceperint posthabita ordinis proprii gloria et dignitate nuper ab Apostolis obtenta. Quod si presbyteris repugnantibus id evenisse obtendant Calviniani, id certe sine contentione, turbis ac celebratis synodis minime poterat extorqueri. Atqui horum nihil veteres meminerunt. Merito igitur Tridentina Synodus Sess. 23. can. 6. definit hierarchiam Ecclesiasticam *divina ordinatione* institutam fuisse, et constare *ex Episcopis, Presbyteris et Ministris*; et canone proximo, Episcopos presbyteris esse superiores.

98. *Obj. I. contra concl. 1<sup>am</sup>.* Concilium Nicenum in epistola synodica (Labb. t. 2. p. 251. A.) permittit presbyteris, qui ad nullum schisma defecisse comperti sunt, jus habere et ordinandi, et eos, qui digni clero fuerint, nominandi. Ergo presbyteris tunc jus erat ordinandi, teste Theodoreto L. 1. c. 9. et Socrate L. 1. c. 49.

R. D. *Ant.* *Jus habere ordinandi*, hoc est, eligendi C. id est, consecrandi N. Verbum grecum προχειρίζεσθαι significat promovere. Synodus Meletiani schismatis presbyteris in clericorum promotione suffragii jura concesserat; caeteris autem concedit καὶ προχειρίζεσθαι, καὶ δύναται ὑποβάλλειν, hoc est, et promovere et nomina suggerere. Nec refert, quod vox illa προχειρίζεσθαι paulo ante dicatur de iis, qui ab Alexandro episcopo Alexandrino erant consecrati. Nam licet ex se promotionem tantum electione factam significet, potest tamen etiam ad ordinationem, ut sibi subjectam, applicari; prout can. 14. Synodi 41. et alibi adhibetur. Porro mendosum est, quod in codice Dionysii Exigu canon. 13. Concilii Ancyran legitur: *Presbyteris non licere presbyteros aut diaconos ordinare sine præcepto Episcopi vel litteris.* Ita enim exemplaria emendatoria aliorum habent: *Sed nec presbyteris civitatis sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, nec sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere.*

99. *Inst. 4.* Concilium Hispalense II. an. 619. (Labb. t. 5. p. 1666. B.) capitulo 7. statuit: *quamvis cum Episcopis plurima illis (Presbyteris) communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis; quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio.* Ergo ex jure duntaxat ecclesiastico soli Episcopi conferre sacros ordines possunt, ideoque jure divino non sunt superiores presbyteris quoad potestatem ordinis. *Confirmatur ex eo, quod Synodus eodem modo de sacris ordinationibus, quo de Virginum et Ecclesiarum consecratione loquatur: atqui hoc postremum juris est tantum ecclesiastici; ergo et primum.*

R. D. *Ant.* et Synodus novellarum regularum nomine intelligit novi foederis leges, quas veteris Testimenti institutis opponit C. intelligit recentiores a Conciliis conditas N. Illum esse Concilii sensum liquet ex serie cit. cap. in quo reprehenditur Agapius episcopus Cordubensis, qui cum a seculari militia statim ad summum sacerdotium promotus, disciplinae ecclesiastice non satis peritus frequenter presbyteros destinabat altaris erigendis,

et basilicis consecrandis, id quod vetat Synodus inquiens: *In divinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moyses in Tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, quia summus utique sacerdos erat Dei, sicut scriptum est de eo: Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; ideoque id, quod tanlum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses et Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis, etc.* Ex quo Ecclesie hac in re doctrina potius confirmatur.

*Nec refert*, quod novellas regulas ecclesiasticis conjungat. Non enim conjungit, quod eadem sint; sed quod utræque in idem argumentum conspirent. Nam cum ecclesiasticis regulis jus divinum sæpe declaretur, ideo ipsi non infrequenter adjunguntur.

*Ad Conf. D. M.* Loquitur eodem modo quoad reservationem ipsam C. quoad jus, quo reservatio innititur N. Conjungit itaque Synodus ista tanquam solis Episcopis reservata: et merito; omnia enim illa pariter episcopatus honori reservantur, sed vario jure, quod non semper exprimit veteres. Quanquam Synodus Hispalensis novi Testimenti regulis ecclesiasticas ideo etiam conjungere videatur, ut innuat geminam illam consecrationem ex diverso jure proficiisci.

100. *Inst. 2.* Veteres nonnulli affirman, Episcopos creari a presbyteris; ergo. *Prob. Ant.* EUTYCHIUS Patriarcha Alexand. in historia Ecclesie Alexand. et vita Marci Evang. memorat. S. Marcum constituisse duodecim presbyteros, qui ad essent Patriarchæ, ut decadente Patriarcha eligerent unum e duodecim presbyteris, et imponerent reliqui undecim presbyteri manus capitii ejus, et benedicentes eum, et constituerent eum Patriarcham. De Novato presbytero loquens CYPRIANUS epist. 49. *Ipse est, inquit, qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factio et ambitione constituit.* Ergo.

R. D. *Ant.* Presbyteri creabant Episcopos, et diaconos, hoc est, eligeant, vel conferri ordinem curabant C. per se ipsi consecrabant N. Ita benigne explicari potest Eutychius. Constat enim triplicem mannum impositionem ab Orientalibus in electione et ordinatione Episcopi adhiberi: quarum *prima* est populi lotius præsulem suum designantis; *secunda* presbyterorum eumdem simul eligentium, et postea electum approbatum; *tertia* episcoporum electum et confirmatum consecrantum. Hac Abrahamus Ecchellensis Maronita cap. 2. et 10. p. 1. Eutychii vindicati adversus Seldenus et Hottingerum aliosque Protestantes, qui plura ex dicti Eutychii historia excerpserunt, queis contra Catholicos abuterentur. Cæterum Eutychii vel nulla vel tenuis est auctoritas; quippe fabulis delectatur, summamque veteris historiæ ac disciplinæ ignorationem præ se fert, id quod non Catholicus duntaxat Theologi, sed etiam Protestantes pluribus ostendunt, Seldenus, Eduardus Pocokius, qui Eutychii scripta typis vulgavit. Vides Carolum Witassum Tract. de sacram. Ord. part. 2. q. 1. de Episcoporum superioritate.

Pariter quando Novatus perhibetur diaconum fecisse, id solum arguit ejus studio effectum, ut Felicissimus diaconus constitueretur. Colligitur id ex ipsis verbis Cypriani, disserente pronunciantis, Novatum factione sua duntaxat effecisse, ut Felicissimus ad diaconatum eveneretur. Addit S. Cyprianus: